

festum celebrabant; praefert autem idem Auctor ieiunantes minime ieiunantibus: *Vigiliam Epiphaniae quam plebes diverse colunt: alii enim ieiunant, alii prouident; nobis ieiunandum magis congruum videtur...*

547 Parisiis fithodie commemoratio S. Simeonis Stylitae, qui solitariam in Oriente vitam egit. Cur autem Parisiis Sancto isti habeatur cultus, haud equidem scio; nisi forte quia legitur in Vita S. Genevefac, quod, cum in Syria Parisienses quosdam Mercatores inuenisset, hos rogasse dicitur, ut cum Sanctae istius precibus commendarent. Quod tamen nescio an ulla auctoritate firmari queat.

548 Hodie Graeci in Vigilia Epiphaniae ieiunant, ut scilicet se ipsos praepararent ad caeremoniam aquae

die ipso festi benedicendae, quaeque alias nocte benedicatur. Hac vero aqua olim lavabantur, de ea hodie tantummodo bibunt; lavabantur autem in honorem Baptismi I. Christi, et aqua inseruiebatur Baptismo Cathecumenorum, qui nocte ista baptizabantur. Quilibet vicus fluvium, a quo irrigatur, multis cum precibus, et caeremoniis benedicit.

Huic Vigiliae populus scurriles licentias substituit, quae procul dubio videntur esse gentilitatis reliquiae. Caeremonia Regis Fabae, ut vocant, neque Christianorum gravitatis, neque hodiernae festivitatis videtur convenire. Est illa quaedam ethnicorum imitatio, qui, ut auream actatem significarent, subditos, aequabant regibus, et regium statum commentitium sortiebantur.

IN EPIPHANIA DOMINI

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. II, 1-12.

CUM natus esset Iesus in Bethleem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam,

2. dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum.

3. Audiciens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Ierosolyma cum illo.

4. Et congregans omnes principes sacerdotum, et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.

5. At illi dixerunt ei: in Bethleem Iudae, sicut scriptum est per prophetam:

6. Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiit dux, qui regat populum meum Israel.

7. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellae, quae apparuit eis:

8. et mittens illos in Bethleem, dixit: Ite et interrogato diligenter de puero: et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.

9. Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer.

10. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde.

11. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius, et proidentes adoraverunt eum: et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.

12. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

Homilia S. Gregorii Papae *.

HOMILIA X. IN EVANGELIA. *Habita ad populum in basilica sancti Petri apostoli, in die Epiphaniae.*

SICUT in lectione evangelica, fratres carissimi, audistis, coeli rege nato, rex terrae turbatus est: quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum celsitudo coelestis aperitur. Sed quaerendum nobis est, quidnam sit quod Redemptore nato, pastoribus in Iudaea angelus apparuit, atque ad adorandum hunc ab Oriente magos non angelus, sed stella perduxit? Quia videlicet iudaeis tamquam ratione utentibus, rationale animal, id est angelus praedicare debuit: gentiles vero quia

* In Breviario Romano haec homilia distribuitur per quatuor primos dies Octavae, nec tamen ex integro datur.

^b De hoc textu scribit S. Thomas 1. 2. q. 51. a. 1. ad 2.: « Dicedam quod Gregorius nominat angelum rationale animal metaphorice, propter similitudinem rationis ». Et ipse S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 20. de angelis pravis, ideoque et de omnibus angelis, ait: « Quis sanum sapiens, esse spiritus corporeos dixerit ».

uti ratione nesciebant, ad cognoscendum Dominum non per vocem, sed per signa perducuntur. Unde etiam per Paulum dicitur: *Prophetiae fidelibus datae sunt, non infidelibus: signa autem infidelibus, non fidelibus* (I COR. XI, 22): quia et illis prophetiae tanquam fidelibus, non infidelibus: et istis signa tanquam infidelibus, non fidelibus data sunt. Et notandum quod Redemptorem nostrum, cum iam perfectae esset aetatis eisdem gentilibus apostoli praedicant: eumque parvulum et necdum per humani corporis officium loquentem, stella gentibus denunciat: quia nimirum rationis ordo posebat, ut et loquentem iam Dominum loquentes nobis praedicatores innotescerent, et necdum loquentem elementa muta praedicarent.

55† Sed in omnibus signis, quae vel nascente Domino, vel moriente monstrata sunt, considerandum nobis est, quanta fuerit in quorundam iudaeorum corde duritia, quae hunc nec per prophetiae donum, nec per miracula agnovit. Omnia quippe elementa auctorem suum venisse testata sunt. Ut enim de eis quiddam usu humano loquar: Deum hunc coeli esse cognoverunt, quia protinus stellam miserunt. Mare cognovit, quia sub plantis eius se calcabile praebuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis suae radios abscondit. Saxa et parietes cognoverunt, quia tempore mortis eius scissa sunt. Infernus agnovit, quia hos quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem Dominum omnia insensibilia elementa senserunt, adhuc infidelium iudaeorum corda Deum esse minime cognoscunt, et duriora saxis, scindi ad poenitendum nolunt: eumque confiteri abnegant, quem elementa, ut diximus, aut signis, aut scissionibus Deum clamabant. Qui etiam ad damnationis suae

cumulum, eum quem natum despiciunt, nasciturum longe ante praesciverunt. Et non solum quia nasceretur, noverant, sed etiam ubi nasceretur. Nam ab Herode requisitum, locum nativitatis eius exprimitur, quem Scripturae auctoritate didicerunt. Et testimonium proferunt, quod Bethlehem honorari nativitate novae ducis ostenditur: ut ipsa eorum scientia et illis fieret ad testimonium damnationis, et nobis ad adiutorium credulitatis. Quos profecto bene Isaac, cum Iacob filium suum benediceret, designavit: qui et caligans oculis et prophetans, in praesenti filium non vidit, cui tam multa in posterum praevitit: quia nimirum iudaicus populus prophetiae spiritu plenus et coecus, eum de quo multa in futurum praedixit, in praesenti positum non agnovit.

Sed nativitate regis nostri cognita, 55‡ Herodes ad callida argumenta convertitur, ne terreno regno privaretur. Renunciari sibi ubi puer inveniretur, postulat: adorare eum velle se simulat, ut (quasi hunc invenire possit) extinguat. Sed quanta est humana malitia contra consilium divinitatis? Scriptum quippe est: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (Prov. xxi, 30). Nam ea quae apparuit stella, magos perducit: natum Regem reperiunt, munera deferunt, et ne redire ad Herodem debeant, in somnis admonentur: sicque fit, ut Iesum, quem quaerit Herodes, invenire non possit. Cuius persona qui alii quam hypocrisae designantur, qui dum fite fuerunt, invenire Dominum nunquam merentur?

55§ Sed inter haec sciendum, quod Priscillianistae haeretici nasci unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum putant: et hoc in adiutorium sui erroris assumunt, quod nova stella ex-

iiit, cum Dominus in carne apparuit: cuius fuisse fatum eandem quae apparuit stellam, putant. Sed si Evangelii verba pensamus, quibus de eadem stella dicitur: *Usque dum veniens staret supra ubi erat puer*; dum non puer ad stellam, sed stella ad puerum cucurrit, si dici liceat, non stella fatum pueri, sed fatum stellae is qui apparuit, puer fuit. Sed a fidelium cordibus absit, ut aliquid esse fatum dicant. Vitam quippe hominum solus hanc Conditor qui creavit, administrat. Neque enim propter stellas homo, sed stellae propter hominem factae sunt. Et si stella fatum hominis dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur. Certe cum Iacob de utero egrediens, prioris fratris plantam teneret manu, prior perfecte nequaquam egredi potuit, nisi et subsequens inchoasset: et tamen cum uno tempore eodemque momento utrumque mater fuderit, non una utriusque vitae qualitas fuit.

55¶ Sed ad hoc solent mathematici respondere, quia virtus constellationis in ictu puncti est. Quibus e diverso nos dicimus, quia magna est mora nativitatis. Si igitur in ictu puncti constellatio permutatur, necesse iam erit ut tot dicant fata, quot sunt membra nascentium. Fateri etiam mathematici solent, quod quisquis in signo Aquarii nascitur, in hac vita piscatoris ministerium sortiatur. Piscatores vero, ut fertur, Getulia non habet. Quis ergo dicat quia nemo illic in stella Aquarii nascitur, ubi piscator omnimodo non habetur? Rursus quos nasci sub signo Librae asserunt, trapezitas futuros dicunt; et trapezitas multarum gentium provinciae ignorant. Fateantur ergo necesse est, aut hoc in eis signum deesse, aut effectum fatalem nullo modo habere. In Persarum quoque, Francorumque terra reges ex genere

prodeunt; quibus profecto nascentibus quis aestimet quanti eisdem momentis horarum ac temporum ex servili conditione nascuntur? et tamen regum filii uno eodemque sidere cum servis nati, ad regnum proficiunt, cum servi qui secum fuerant geniti, in servitute moriantur. Haec de stella breviter diximus, ne mathematicorum stultitiam indiscussam praeterisse videamur.

55‡ Magi vero aurum, thus et myrrham deferunt. Aurum quippe Regi congruit: thus vero in Dei sacrificium ponebatur: myrrha autem mortuorum corpora condiuntur. Eum ergo magi quem adorant, etiam mysticis muneribus praedicant: auro Regem, thure Deum, myrrha mortalem. Sunt vero nonnulli haeretici, qui hunc Deum credunt; sed ubique regnare nequaquam credunt. Hi profecto ei thus offerunt, sed offerre etiam aurum nolunt. Et sunt nonnulli, qui hunc Regem existimant, sed Deum negant. Hi videlicet ei aurum offerunt, sed offerre thus nolunt. Et sunt nonnulli qui hunc et Deum et Regem fatentur, sed assumpsisse carnem mortalem negant. Hi nimirum ei aurum et thus offerunt, sed offerre myrrham assumptae mortalitatis nolunt. Nos itaque nato Domino offeramus aurum, ut hunc ubique regnare fateamur; offeramus thus, ut credamus, quod is, qui in tempore apparuit, Deus ante tempora exstitit: offeramus myrrham, ut eum, quem credimus in sua divinitate impassibilem, credamus etiam in nostra fuisse carne mortalem. Quamvis in auro, thure et myrrha intelligi et aliud potest. Auro namque sapientia designatur, Salomone attestante, qui ait: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis* (Prov. xxi, 20 sec. LXX). Thure autem quod Deo incenditur, virtus orationis exprimitur, psalmista testante, qui dicit: *Dirigatur oratio mea sicut incen-*

sum in conspectu tuo (PSAL. CXL, 2). Per myrrham vero carnis nostrae mortificatio figuratur: unde sancta Ecclesia de suis operariis usque ad mortem pro Deo certantibus dicit: *Manus meae distillaverunt myrrham* (CANT. V, 5). Nato ergo Regi aurum offerimus, si in conspectu illius claritate supernae sapientiae resplendemus. Thus offerimus, si cogitationes carnis per sancta orationum studia in ara cordis incendimus, ut suave aliquid Deo per coeleste desiderium redolere valeamus. Myrrham offerimus, si carnis vitia per abstinentiam mortificamus. Per myrrham namque, ut diximus agitur ne mortua caro putrefiat. Mortuum vero carnem putrescere, est hoc mortale corpus fluxui luxuriae deservire, sicut de quibusdam per prophetam dicitur: *Computruerunt iumenta in stercore suo* (IOEL. I, 17). Lumenta quippe in stercore suo putrescere, est carnales homines in foetore luxuriae vitam finire. Myrrham ergo Deo offerimus, quando hoc mortale corpus a luxuriae putredine per condimentum continentiae custodimus.

556 Magnum vero nobis aliquid magi innuunt, quod in regionem suam per aliam viam revertuntur. In eo namque quod admoniti faciunt, nobis profecto insinuant quid faciamus. Regio quippe nostra paradisi est, ad quam, Iesu cognito, redire per viam qua venimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetum gustando discessimus: sed ad eam necesse est, ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo atque appetitum carnis refrenando, redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur: quoniam qui a paradisi gaudiis per delectamenta discessimus, ad haec per lamenta revocamur. Unde necesse est, fratres charissimi, ut

semper pavidi semperque suspecti ponamus ante oculos cordis hinc culpas operis, illinc iudicium extremae districtiois. Pensemus quam districtus iudex veniat, qui iudicium minatur et latet: terrores peccatoribus intentat, et tamen adhuc sustinet: et ideo venire citius differt, ut minus inveniatur quos condemnet. Puniamus fletibus culpas, et cum psalmistae voce praeviamus faciem eius in confessione. Voluptatum nos ergo fallacia nulla decipiat, nulla vana laetitia seducat. In proximo namque est iudex qui dixit: *Vae vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et fletibitis* (LUC. VI, 25). Hinc etenim Salomon ait: *Risus dolori miscbitur, et extrema gaudii luctus occupat* (PROV. XIV, 13). Hinc iterum dicit: *Risum deputavi errorem et gaudium dixi: Quid frustra deciperis?* (ECCLE. II, 2). Hinc rursus ait: *Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi laetitia* (Ibid. VII, 5). Pertimescamus ergo praecepta Dei, si celebramus veraciter solemnitatem Dei. Gratium namque Deo sacrificium est afflictio contra peccatum, Psalmista testante, qui ait: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (PSAL. L, 19). Peccata nostra praeterita in baptismatis perceptione lavata sunt, et tamen post baptismum multa commisimus: sed lavari iterum baptismatis aqua non possumus. Quia ergo et post baptismum inquinavimus vitam, baptizemus lacrymis conscientiam, quatenus regionem nostram per viam aliam repetentes, qui ex ea bonis delectati discessimus, ad eam malis amaricati redeamus, praestante Domino nostro, etc.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.
(DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 1-9).

I.

557 EPIPHANIAE Festum celebratur sexta die Ianuarii. Epiphaniam manifestationem significat: Epiphania Graecae linguae vocabulo manifestatio dicitur potest; verba sunt D. Augustini serm. 203 alias 64 de divers. Idem ait S. Bernardus serm. 3 de Epiphania: *Solemnitas igitur hodierna dicitur ab apparitione nomen accepit, Epiphania quippe apparitio est. Hodie ergo apparitio Domini celebratur.* Tres apparitiones seu manifestationes Christi haec die ab Ecclesia recoluntur. Commemoratio fit adorationis Magorum, qua Dominus Iesus demonstratus est Gentibus: Baptismatis, quod ab Ioanne suscepti, cum voce delapsa de Coelo: *Hic est filius meus dilectus*, Iudaeis innotuit: et conversionis denique aquae in vinum, qua factus est manifestus discipulis.

558 II. Bollandus in praefatione generali ad Vitas Sanctorum, cap. 4, § 3, profert fragmentum Polemei Sylvii, seu P. Annei Sylvii scriptum anno 448, ubi mense Ianuarii haec notata sunt: *Oclavo Idus, Epiphania, quo die, interpositis temporibus, et stella Magis Dominum natum multavit, et aqua vini facta, vel in anno Iordanis Salvator baptizatus est: de quo Sylvii fragmento mentionem pariter facit Ruinartus, Act. Martyr. sinc. et select. in fin. in Admonitione ad Kalendarium subsequencia. S. Bernardus, serm. I in Epiphania Domini loquitur de tribus huius Domini apparitionibus seu manifestationibus: Itaque in prima apparitione homo verus innobis, ubi inter ubera Matris infans apparuit: in secunda vero verum esse Dei filium, Patris indicat testimonium: in tertia vero verum esse Deum demonstratur, ad cuius imperium natura mutatur. Hoc eodem sermone S. Bernardus uno eodemque Epiphaniae festo tres haec apparitiones celebrari testatur. Consonat sermo Ivonis Carnotensis de Epiphania Domini. Amalarius autem, lib. 3 de Ecclesiast. Officiis, cap. 33, ita scribit: *Praesens Officium nocturnale certat intimare tria insignia nobis manifestata per adventum Christi, id est adventum Magorum, et Baptismum Christi, et miraculum ex aqua factum a Christo.* Cum hoc eodem die, ut dudum diximus, etiam Christi Baptismus celebratur, propterea Festum hoc ab aliquibus dictum est Festum Illuminationis, seu Festum luminum: verum D. Hieronymus vehementer contendit, eiusmodi denominationem omnino reiiciendam, et Festum huius diei Festum Epiphaniae esse appellandum. Vid. Tillemont, Nota 9, in fin. ad Iesu Chr. vitam.*

DIE II. INFRA OCT. EPIPHANIAE

Homilia S. Thomae Aquinatis.

IN MATTHAEUM CAP. 2.

559 SUPRA egit Evangelista de Christi generatione: hic intendit manifestare eius nativitatem. Et primo, testimonio Magorum; secundo, testimonio innocentium, ibi, *Qui cum recessissent*. Circa primum tria ponuntur. Primo enim annuntiat Christum nativitas; secundo inquiritur locus; tertio inquiritur persona. Secundum ibi, *Audiens autem Herodes*. Tertium ibi, *Tunc Herodes*. Circa primum tria facit. Primo enim proponitur Christi nativitas, cui testimonium perhibetur; secundo inducuntur testes; tertio ponitur testimonium. Secundum ibi, *Ecce Magi*. Tertium ibi, *Ubi est qui natus est?* Circa primum quatuor tanguntur: Nativitas, nomen nati, locus et tempus. Primum ibi, *Cum ergo natus esset*. Et notandum, quod Lucas plenius exequitur nativitatem, sicut et converso Matthaeus plenius exequitur de adoratione Magorum, quam Lucas. Nomen tangitur ibi, *Iesus*. Locus ibi, *In Bethlehem Iudae*, non Iudaeae, quia Iudaea vocatur tota regio populi Israelitici; sed Iudae; ista est terra illa, quae vnerat in sortem Iudae. Dicitur Bethlehem Iudae ad differentiam alterius Bethlehem, quae est in tribu Zabulon, de qua Iosue XIX. Et nota, quod ista tria verba, *Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudae in diebus Herodis regis*, congrue ponuntur. Bethlehem enim significat Ecclesiam, in qua natus est Iesus, qui est verus panis, de quo Ioann. VI, vers. 35: *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi*. Nulli ergo provenit salus, nisi sit in domo Domini. In his Salvator natus est Christus; Is. LX, 18: *Occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio*, etc. Et addidit, Re-

gis, ad differentiam alterius Herodis: hic enim fuit, sub quo natus est Christus, ascalonita; alius autem qui Ioan-nem occidit, fuit filius huius Herodis, et non fuit rex.

560 Sed quaeritur quare Scriptura facit mentionem de isto tempore. Et dicendum propter tres rationes. Primo, ut completam ostendat esse prophetiam Iacob, Genes. penult., 10: *Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Herodes enim fuit primus alienigena, qui regnavit in Iudaea. Secunda ratio est, quod maior morbus indiget maiori et meliori medico; populus autem Israel tunc erat in maxima afflictione sub gentili dominio, et ideo indigebat maximo consolatore: in aliis enim afflictionibus suis mittebantur eis prophetae; sed nunc propter magnitudinem afflictionis mittebatur eis prophetarum Dominus; Psal. xciii, 19: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae lactificaverunt animam meam.*

561 Inde ponuntur testes, ibi, *Eccae Magi.* Et describuntur tripliciter: a professione, a regione et a loco, ubi testimonium dederunt. De primo dicit, *Eccae Magi*; qui secundum communem usum loquendi vocantur incantatores; sed lingua persica vocat Magos philosophos et sapientes: isti quidem venerunt ad Iesum, quia gloriam sapientiae, quam possidebant, recognoverunt a Christo. Et sunt quidem primitiae gentium, quia primo venerunt ad Christum. Et impletur, secundum Augustinum, in istorum adventu illud Isaiae viii, 4: *Antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariae coram rege Assyriorum*, etc.; ante enim quam Christus loqueretur, eripuit fortitudinem Dama-

sci, et divitias et spolia Samariae, id est idolatriam. Dimiserunt enim illi idolatriam, et munera obtulerunt.

Item considerandum quod ad Christum venerunt aliqui ex Iudaeis, scilicet pastores; aliqui ex gentibus, scilicet Magi; ipse enim Christus est lapis angularis, qui fecit utraque unum. Et quare Magi et pastores? Quia pastores magis simplices, et isti magis peccatores, ad significandum quod Christus utrosque recipit.

Quot autem fuerint illi Magi, Evangelista non dicit. Videtur autem secundum munera, quod fuerunt tres reges, quamvis plures alii in eis repraesentantur; Is. lx, 3: *Ambulabant gentes in lumine tuo.*

De secundo, scilicet de regione, dicit, *Ab oriente.*

Et notandum quod quidam *ab oriente* exponunt a finibus orientis; sed tunc quomodo in tam paucis diebus venissent? Et respondetur, ut quidam dicunt, quod miraculose venerunt; alii quod dromedarios habuerunt. Chrysostomus tamen dicit, quod stella apparuit eis per duos annos ante nativitatem, et quod tunc se paraverunt, et venerunt Ierosolymam in duobus annis et tredecim diebus. Aliter autem potest exponi, ut dicatur: *Ab oriente*, id est a quadam regione quae erat prope Ierusalem a parte orientali; dicuntur enim isti fuisse de secta Balaam, qui dixit Numerorum cap. xxiv, vers. 17: *Orietur stella ex Iacob*; qui Balaam habitabat iuxta terram promissionis in parte orientali.

566 Sequitur de loco, *Ierosolymam venerunt.* Sed quare venerunt Ierusalem? Duplex est ratio. Una quia erat civitas regia; unde regem Iudaeorum in regia civitate quaerebant; item hoc factum fuit ex divina dispensatione, ut primo testimonium ferretur de Christo in Ie-

rusalem, ut adimpleretur propheta Is. II, 3: *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.* Consequenter ponitur testimonium, ibi, *Ubi est qui natus est?* In quo tria dicunt. Primo denuntiant regis nativitatem; secundo afferunt nativitatis signum, ibi, *Vidimus enim stellam eius*; tertio profitentur pium propositum, ibi, *Et venimus adorare.* Dicunt ergo, *Ubi est?* Considerandum autem quod isti Magi sunt primitiae gentium, et praefigurat in se statum nostrum: isti enim aliquid supponunt, scilicet Christi nativitatem; et aliquid quaerunt, scilicet locum. Et quidem nos fide tenemus Christum: sed aliquid quaerimus, scilicet spe: videbimus enim cum facie ad faciem; II Cor. v, 7: *Per fidem ambulamus, et non per speciem.*

567 Sed quaestio est. Cum ipsi audissent regem esse in Ierusalem, quomodo ista dicebant? Omnis enim qui alium regem profiteretur in civitate regis, se exponit periculo. Sed certe hoc zelo fidei faciebant. Unde in istis nuntiabatur fides illa intrepida, infra x, 28: *Nolite timere eos qui occidunt corpus.*

568 Consequenter proponunt signum huius nativitatis, *Vidimus.* Et nota quod in istis verbis fuit occasio duorum errorum. Quidam, sicut Priscillianistae, dixerunt omnes actus hominum fato agi et regi. Et confirmant per hoc, *Vidimus enim stellam eius.* Ergo natus est sub aliqua stella. Alius error Manichaeorum qui reprobat fatum, et per consequens istud Evangelium; quia dicebant quod Matthaeus introducit fatum; sed excluditur error utriusque.

569 Sed antequam procedamus ad expositionem litterae, oportet primo videre quid est fatum, et quomodo sunt haec credenda, et quomodo non. Nota ergo quod videmus multa in rebus humanis per accidens et casualiter accidere. Con-

tingit autem aliquid casuale et fortuitum esse relatum ad causam inferiorem, quod relatum ad causam superiorem non est fortuitum: sicut si aliquis dominus mittat tres ad quaerendum aliquem, et unus nesciat de alio, si occurrant sibi invicem, est eis casuale; sed si referantur ad intentionem domini, non est casuale. Sed secundum hoc fuit duplex opinio de fato. Quidam dixerunt quod ista casualia non reducuntur in aliam causam superiorem ordinantem: et isti sustulerunt fatum, et ultra hoc omnem providentiam divinam. Et fuit, secundum Augustinum, haec opinio Tullii. Sed dicimus quod ista casualia reducuntur in causam superiorem ordinantem. Sed cum fatum dicatur a forfaris, quasi quoddam pronuntiatum et prolocutum, a qua causa sit ista ordinatio, est differentia. Quidam dixerunt quod est ex virtute corporum supercoelestium. Unde dicunt fatum nihil aliud esse quam dispositio siderum. Alii ista contingentia reducunt in providentiam divinam. Sed primo modo negandum est esse fatum. Actus enim humani non reguntur secundum dispositionem corporum coelestium; quod patet ad praesens, cum multae sint ad hoc rationes efficaces. Primo, quia impossibile est, quod virtus corporalis agat supra virtutem incorpoream, quia nihil inferius in ordine naturae agit in superiorem naturam. In anima autem sunt quaedam potentiae elevatae supra corpus; quaedam potentiae sunt organice affixae, scilicet potentiae sensitivae et nutritivae; et corpora quidem coelestia, quamvis directe agant supra corpora inferiora, et mutant ea per se, per accidens tamen agunt in potentiis organice affixis. In potentiis autem organice non affixis nullo modo agunt necessitando, sed inclinando tantum. Dicimus enim

istum hominem iracundum, idest pronum ad iracundiam, et hoc ex causis coelestibus, sed directe electio ut sic in voluntate est. Unde nunquam potest fieri tanta dispositio in corpore humano, quin superabundet iudicium liberi arbitrii. Unde quicumque poneret liberum arbitrium sub corporibus coelestibus de necessitate, poneret sensum ab intellectu non differre. Secundo, quia per hoc excluditur omnis cultus divinus, quia tunc omnia essent ex necessitate; et sic tunc etiam regimen reipublicae destrueretur, quia nec oportet consilium, neque aliquid providere, et huiusmodi. Tertio, quia nos attribuimus Deo malitiam hominum; quod esset ipsum infamare, qui creator est stellarum. Patet ergo quod hoc dicere est contra fidem omnino. Et ideo dicit Gregorius: "Absit a fidelium cordibus ut fatum aliquid esse dicatur." Si autem vis vocari fatum divinam providentiam, tunc aliquid est. Sed, sicut dicit Augustinus, quia nihil commune debemus habere cum infidelibus, non hoc nomen ei imponere debemus, unde dicit: "Linguam corrigas, sententiam teneas." Non ergo potest dici: *Vidimus stellam*, idest a qua tota vita eius dependeat; quia, secundum Augustinum, tunc stella non sequeretur generatum, quia tunc Christus magis diceretur fatum stellae, quam e converso.

570 Et notandum quod ista stella non fuit de primis causatis: quod patet ex quatuor. Primo ex motu, quia nulla stella movetur de septentrione in meridiem. Regio autem Persarum, unde isti Magi veniebant, est posita ad septentrionem. Item aliae nunquam quiescunt; ista autem non continue movebatur. Tertio ex tempore, quia in die nulla lucet; ista autem de die praebat lucem Magis. Quarto ex situ, quia non

in firmamento, quod patet, quia isti per eam determinate distinxerunt domum. Ergo dicendum quod ista specialiter creata fuit ad servitium Christi; et ideo dicit: *Vidimus stellam eius*, idest ad obsequium eius factam.

Quidam autem dicunt, quod ista stella 571 fuit Spiritus sanctus, qui, sicut super baptizatum apparuit in specie columbae, ita et nunc in specie stellae. Alii dicunt quod fuit angelus. Sed dicendum est quod vera stella fuit. Et voluit ostendi sub indicio stellae, primo, quia conveniebat ei; est enim rex colorum; et ideo per coeleste indicium voluit manifestari; Psal. XVIII, 1: *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiant firmamentum*. Iudaeis quidem per angelos per quos legem acceperant; Galat. III, 19: *Lex data est per angelos*; Gentilibus per stellam, quia per creaturas in cognitionem Dei venerunt; Rom. I, 20: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Secundo, quia congruebat his quibus demonstrabatur, scilicet gentilibus, quorum vocatio promissa fuit Abrahae in similitudinem stellarum; Gen. XV, 5: *Suspice coelum et numera stellas si potes*, etc. Unde tam in nativitate, quam in passione factum est signum in coelo, quod omnibus gentibus Christum notum fecit. Item congruebat omnibus, quia ipse est Salvator omnium. Sed dicit, *In oriente*, quod exponitur dupliciter; secundum Rabanum, sic Stella existens in Iudaea apparuit illis gentibus in oriente. Vel nos vidimus stellam in oriente. Istud melius dicitur. Unde (hoc capit.): *Ecce stella quam viderant in oriente antecedebat eos*. Item patet ex hoc quod ista secundum situm erat propinqua terrae, quia aliter non distinxisset locum. Ergo non potuisset videri a tam remota regione.

572 Consequenter ponitur pium propositum, *Et venimus adorare*.

573 Hic est duplex quaestio. Dicit enim Augustinus: "Numquid isti erant curiosi, quod quodcumque fieret aliquid iudicium per aliquam stellam quaererent regem natum?" Hoc enim stultum fuisse.

574 Sed dicendum quod non praestaverunt obsequium regi terreno, sed coelesti: in quo virtus divina ostenditur affuisse; quia aliter si terrenum regem quaesissent, totam devotionem amisissent, quando vilibus pannis invenerunt involutum.

575 Sed quaerit iterum Augustinus: Quomodo ex stella potuerunt scire, quod homo Deus natus esset? Et respondet quod hoc fuit angelo revelante; qui enim ostendit eis stellam, misit angelum qui hoc revelaret. Leo papa dicit, quod "sicut exterius oculi replebantur lumine istius stellae: ita interius radius divinus revelabat."

576 Tertia ratio, quia isti erant de stirpe Balaam, qui dixit (NUM. XXIV, 17): *Orietur stella ex Iacob*. Unde habuerunt a prophetia eius. Et ideo videndo tantam claritatem stellae, suspicati sunt, quod rex coelestis natus esset; et ideo quaerebant; et hoc est: *Et venimus adorare*. In hoc impletum est illud Psal. LXXI, vers. 11: *Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei*.

577 Praenuntiata Christi nativitate per Magos, hic inquirunt de loco nativitatis: et ponuntur tria. Primo ponitur motivum ad inquirendum; secundo imponitur inquisitio; tertio inventio veritatis. Secundum ibi, *Et congregans*. Tertium ibi, *At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudae*. Motivum fuit turbatio Herodis; unde, *Audiens*. Et signanter vocat Herodem regem; ut ostendat esse alium a rege, quem quaerebant. Fuit autem triplex causaurbationis. Prima processit

ex ambitione, quam habebat circa custodiam regni sui, propterea quia alienigena erat. Sciebat enim vel audiverat illud Danielis II, 44: *In diebus regnorum Israel suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur*, etc. Sed in hoc decipiebatur quia regnum illud spirituale erat; Ioann. cap. VIII, 36: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Unde Herodes turbabatur timens amissionem regni sui; sed magis turbabatur diabolus timens regni sui destructionem totalem; Ioann. XII, 31: *Nunc princeps mundi huius eicitur foras*.

Et nota quod homines, sicut dicit Chry- 578 sostomus, in sublimibus constituti ex levi verbo contra se prolato conturbantur; Psal. LXXXVII, 6: *Exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus*; humiles autem nunquam timent.

579 Secunda causa processit ex timore Romani imperii: statutum enim erat a Romano imperio quod nullus Deus aut rex diceretur sine eorum consensu; unde timebat; sed iste timor mundanus erat, qui prohibetur; Is. LI, 12: *Quis tu ut timeas ab homine mortali, et filio hominis qui quasi foenum ita arescet?* Tertia ex rubore verecundiae: verecundabatur enim coram populo ut alius rex vocaretur; similis in hoc Sauli, qui dixit: *Pecavi, sed nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israel*, etc. (I REGUM XV, 30). Sed mirum quod sequitur: *Et omnis Ierosolyma cum illo*. Videbatur enim quod deberent gaudere. Sed sciendum quod triplicem causamurbationis habuerunt. Prima fuit ipsorum iniquitas: iniqui enim erant, quibus semper detestabilis est conversatio iustorum; Prov. XIII, 19: *Detestantur stulti eos qui fugiunt mala*. Secunda ut placerent Herodi; Eccli. X, 2: *Secundum iudicium populi, sic et ministri eius*. Tertia quia ti-

mēbant ne Herodes hoc audito amplius desaeuaret in gentem Iudaeorum.

580 Mystice autem in hoc significatur quod iste terrenus erat. Greg.: " Rex terrae turbatus est, coeli Rege nato, quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum coelestis celsitudo aperitur "; Is. XXIV, vers. 21: *Eruibescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Ierusalem.* Et notandum quod, sicut dicit Augustinus: " Quid autem erit tribunal iudicantis, quando superbos reges cuncta terrebat infantis? Pertineant reges ad dexteram Patris sedentem, quem rex impius timuit matris ubera labentem ..

581 *Et congregans.* Hic ponitur inquisitio. Et, sicut dictum est, Herodes sollicitus erat inquirere, et propter regnum, et propter timorem Romanorum: unde inquisiuit veritatem. Sed ad habendam certitudinem de aliquo tria requiruntur ab inquirentibus: creditur enim multitudini, auctoritati, et litteratis. Unde congregavit multos, et auctoritatem habentes, et sapientes: et hoc est quod dicit: *Congregans omnes*, quantum ad primum; Sap. vi, 26: *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum. Principes sacerdotum*, quantum ad secundum; Malach. ii, 7: *Labia sacerdotum custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore eius.... Et scribas*, quantum ad tertium: non ad scribendum tantum dicitur, sed ad interpretandum legis scripturam; per istos quidem volebat investigare veritatem; Eccl. xxxii, 13: *In medio magnatorum loqui non praesumas, et ubi sunt senes non multum loquaris. Sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.* Magi regem vocaverunt, sed ipsi Christum quaerebant: sciebant enim ex conversatione cum Iudaeis regem Iudaeorum legitimum inungi.

582 Sed quaeritur: aut ipse credebat pro-

phetiae, aut non; si credebat, sciebat quod non poterat impediri quin ipse regnaret; quare ergo interfecit pueros? si non credebat, quare ergo quaerebat?

Sed dicendum quod non perfecte credebat, quia ambitiosus erat; et ambitio hominem caecum reddit.

584 *At illi dixerunt: In Bethlehem Iudae.* Hic invenitur veritas. Et primo ponitur veritas; secundo confirmatur eius prophetia, ibi, *Et tu, Bethlehem, terra Iuda.*

585 Et sciendum quod Christus voluit nasci in Bethlehem propter tria. Primo ad vitandam gloriam; propter hoc enim elegit duo loca: unum in quo nasci voluit, scilicet Bethlehem; alium in quo passus fuit, scilicet Ierusalem. Et hoc est contra illos qui gloriam quaerunt, qui volunt nasci in sublimibus locis, et nolunt pati in loco honoris; Ioann. vii, 50: *Ego gloriam meam non quaero.* Secundo ad confirmationem suae doctrinae, et ostentationem suae veritatis: si enim natus fuisset in aliqua magna civitate, virtus suae doctrinae potuisset adscribi humanae virtuti; II Cor. viii, 9: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi.* Tertio ad ostendendum se esse de genere David; Luc. ii, 3: *Ioseph et Maria ibant in Bethlehem ut profiterentur ibi, eo quod essent de domo et familia David.* Competit etiam mysterio, quia Bethlehem interpretatur domus panis: et Christus est ille *panis vivus, qui de coelo descendit* (IOANN. vi, 51).

586 Consequenter confirmatur veritas. Unde, *Et tu, Bethlehem*, etc. Ex ista prophetia duo possemus considerare: Magi enim aliquid annuntiabant, et aliquid quaerebant. Et ex ista prophetia ostenditur utrumque: quia quantum ad primum dicit: *Et tu, Bethlehem*; quantum ad secundum dicit: *Ex te enim exiit dux.* Et ita confirmatur nativitas Christi duplici testimonio, scilicet stellae et pro-

phetiae, quia in ore duorum vel trium testium est veritas; Deut. xix, 15: *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.*

587 Et nota, quod quando erant omnes infideles, data sunt signa corporalium; quando iam erant fideles, data est prophetia; I Cor. xiv, 22: *Itaque linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, prophetiae autem non infidelibus, sed fidelibus.*

588 Et sciendum quod Iudaei dupliciter defecerunt in prolatione prophetiae. Quia ibi (MICI. v, 2) dicitur: *Et tu, Bethlehem Ephrata*, et iterum quia non est ibi, *Nequaquam minima es.* Et potest assignari duplex ratio quare mutaverunt. Uno modo potest dici, quod hoc fecerunt ex ignorantia. Alio modo potest dici quod isti usi sunt scienter aliis verbis, et dicunt sententiam: quia cum Herodes esset alienigena, non intellexisset auctoritatem prophetiae, et ideo dixerunt illud quod notum erat Herodi; unde dicunt *Terra Iuda*, et *Nequaquam minima es*, idest tu non es minima inter millia hominum Iuda; vel in *principibus Iuda*, idest inter principales civitates Iuda. *Ex te enim exiit dux qui regat populum meum Israel.* De isto duce habetur Dan. ix, 25: *Usque ad Christum ducem*; et Psal. xxx, 5: *Dux mihi eris: regit enim populum Israel non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter*; Rom. xi, 1: *Numquid Deus repulit populum suum?*

etc. Psal. lxxxix, 2: *Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Ioseph.* Et nota quod truncant caudam auctoritatis, scilicet: *Et egressus eius sicut ab initio a diebus aeternitatis.* Per quod insinuat quod non debebat esse rex terrenus, sed coelestis; quod si scivisset Herodes, non fuisset impius. Unde fuerunt causa necis illorum. Item ex illa etiam cauda patet esse falsam in-

terpretationem Iudaeorum, qui exponunt de Zorobabel: quia non convenit ei, *Et egressus eius ab initio a diebus aeternitatis.* Item non in Iudaea, sed in Babylone natus est.

589 Consequenter inquiritur de persona nati cum dicit: *Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae quae apparuit eis.* Et primo ponitur inquisitio; secundo inventio inquisiti, ibi, *Invenerunt eum*, etc.; tertio veneratio inventi, ibi, *Et procidentem adoraverunt eum.* Ad inquirendum personam ex duobus moti sunt: ex persuasione Herodis, et ex ductu stellae. Unde circa primum ponitur exhortatio; secundo studium Magorum in mutatione stellae, ibi, *Qui cum audissent regem abierunt.* Circa primum tria ponuntur. Primo enim inquitur tempus; secundo annuntiat locum, ibi, *Et mittens illos in Bethlehem*; tertio iniungit officium inquisitionis, ibi, *Ite, et interrogate diligenter de puero.* Dicit ergo: *Tunc Herodes.* Ubi considerandum quod Iudaei sciebant locum, sed non tempus. Unde confutatur a Domino, Luc. cap. xix, vers. 44: *Eo quod non cognovisti tempus visitationis tuae, et Is. 1: Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Ergo inquiritur tempus. Et dicit Chrysostomus quod per biennium ante apparuit istis stella. Alii autem quod in ipsa die nativitatis. Annuntiat locum, ibi, *Et mittens.* Iungit officium inquisitionis, ibi, *Ite, et interrogate*, etc. Et admonet duo: et ad hoc quod impleant praemittit tertium. Quantum ad primum dicit: *Ite*, etc. Et quaerit insidiose ad occidentum, sicut illi quibus dicitur Ioann. vii, 34: *Quaeratis me, et non invenietis.* Quantum ad secundum dicit sic: *Cum inveneritis remanete mihi.* Et hoc propter malum etiam dicebat;

Eccli. xiii, 14: *Ex multa loquela tentabilite*. Quantum ad tertium dicit: *Ut et ego veniens adorem eum*; et quidem dolose promittit Dei cultum; Ierem. ix, 8: *Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est*; Psalm. xxvii, 3: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*.

590 Et nota quod cum Magi profiterentur regem, iste vocat puerum; quia ex abundantia cordis os loquitur. Nota etiam, quod petit a Iudaeis ubi Christus nasceretur, volens experiri, et tentare utrum gauderent.

591 Consequenter ponitur studium Magorum. Duo iniunxerat: quod inquirerent, et revertentur; sed unum fecerunt Magi; unde: *Qui cum audissent regem abierunt*. Aliud autem non fecerunt. Tales quidem debent esse auditores, quod bona addiscant, mala vero relinquant; infra xxiii, 3: *Quae dicunt facile, secundum opera eorum nolite facere*, etc.

592 Supra Evangelista posuit unum motivum Magorum, scilicet persuasionem Herodis; hic ponit aliud motivum Magorum ad inquirendum Christum, scilicet ducatum stellae; et circa hoc duo facit: Primo enim ponit ducatum stellae; secundo effectum laetitiae huius ducatus, ibi, *Videntes autem stellam, gavisissimi sunt gaudio magno valde*. Et nota, quod stella primum exequitur suo motu, quia directe ducebat Magos ad Christum; item manifestat suo statu pueri locum, ibi, *Usque dum veniens staret supra ubi erat puer*. Unde quantum ad primum dixit: *Antecedebat eos*. Ex hoc autem quod dicit: *Ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos*, datur intelligi quod quando Magi declinaverunt in Ierusalem, stella disparuit; recedentibus autem ab Herode, apparuit. Disparuit autem propter tria: Primo propter

confusionem Iudaeorum, qui cum instructi essent in lege, ut Christum quaerent, et gentes non essent instructae, tamen gentes quaerunt, et Iudaei continentur. Unde impletur illud Is. lv, 5: *Gentes quae te non cognoverunt, ad te current*. Secundo propter Magorum instructionem: non enim solum per stellam Dominus voluit se eis manifestare, sed etiam per legem, ut sic adiungeretur cognitioni creaturarum cognitio legis. *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*, Deut. xix, 15. Is. vii, 20: *Ad legem magis et ad testimonium*. Tertio propter instructionem nostram: et instruimur de duobus, secundum Glossam. Primo quod qui humanum auxilium quaerunt, deseruntur a divino; illicitum est enim humanum auxilium quaerere, non quaerendo divinum; Is. xxxi, 1: *Vae qui descenditis in Aegyptum ad auxilium, in equis sperantes, habentes fiduciam super quadrigis, quia multae sunt, et super equitibus, quia praevalidi nimis, et non sunt confisi super Sanctum Israel, et Dominum non requisierunt*. Secundo instruimur quantum ad hoc, quod nos, qui fideles sumus, non debemus quaerere signa, sicut isti, qui *videntes stellam gavisissimi sunt*, etc.; sed debemus esse contenti doctrinis Prophetarum, quia *signa data sunt infidelibus*. In hoc etiam est duplex mysterium. Stella enim significat Christum; Apoc. ult. 16: *Ego sum radix David, stella splendida et matutina*. Unde per istam stellam intelligere possumus gratiam Dei, quam amittimus, cum ad Herodem, idest diabolum, accedimus; Ephes. v, 8: *Erat aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*. Item cum ab Herode, idest Christi gratiam, invenimus: simile Exod. xiii, 21, ubi dicitur, quod Dominus praecedebat Israel, quando exivit de Aegypto, in specie

ignis etc. Hic autem praecedebat in specie stellae.

593 *Usque dum veniens staret supra ubi erat puer*. Duo intelligimus hic. Unum quod ista stella non erat multum alta, quia aliter, non discrevissent domum pueri. Aliud quod stella completo officio suo redacta est in suam materiam. *Ubi erat puer*. Frequenter puerum vocat, ut scias illum esse de quo dicitur Is. ix, 6: *Puer natus est nobis*. Consequenter ponitur effectus ducatus huius quantum ad Magos: unde, *Videntes autem stellam gavisissimi sunt*, etc. Gavisissimi sunt propter spem, quam recuperaverunt: timebant enim, quia de longinquis partibus venerunt, amittere quod sperabant; Rom. xii, 12: *Spe gaudentes*. Item addit, *Gaudio*; alii enim gaudent, et non gaudent, quia laetitia humana non est perfectum gaudium; Prov. xiv, 13: *Extrema gaudii luctus occupat*. Verum autem et perfectum gaudium de Deo est; Is. lxi, 10: *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo*. Tertio addit, *Magno*. quia isti magna iam cognoscebant de Deo, quia Deum incarnatum, et multum misericordem; Is. xii, 6: *Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel*. Quarto addit, *Valde*, quia intense gaudebant: recuperaverant enim quod amiserant; Luc. xv, 10: *Gaudium erit angelis Dei*, etc. Consequenter agitur de inventione pueri. Unde, *Et intrantes domum, invenerunt puerum*. Et tangit tria: *Domum*, quae si quaeratur qualis erat, ostenditur Luc. ii. Item si quaeratur qualis puer, in nullo ab aliis differebat, sicut dicunt sancti. Quantum ad apparentiam, non loquebatur, infirmus videbatur, et huiusmodi. Item si quaeratur qualis mater, respondetur, qualis est uxor carpentarii. Et hoc ideo dico, quia si isti quaesivissent regem terrenum, videndo ista scanda-

lizati fuissent; sed videntes villam, et considerantes altissima, moti sunt ad admirationem, et adoraverunt eum. Et hoc est, *Et procidentes adoraverunt eum*.

Sed quare non fit mentio de Ioseph? 594 Dicendum quod divina dispensatione factum est quod non adesset, ne istis qui primitiae gentium erant, daretur suspicio pravae opinionis.

Consequenter tangitur reverentia quam 595 exhiberunt ad puerum, ibi: *Et procidentes*. Et fuit triplex: In adorando, offerendo et obediendo. Dicit ergo: *Et procidentes adoraverunt eum*, tamquam Deum in homine latentem; Psal. lxxi, vers. 9: *Coram illo procident Aethiopes*. Item offerendo, reverentiam exhibuerunt; unde: *Et apertis thesauris suis*. Consuetudo enim erat apud Persas, quod semper cum munere adorabant; et hoc est: *Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham*. Psal. lxxi, 10: *Reges Tharsis et insulae munera offerent, Reges Arabum et Saba dona adducent*. Is. lx, 6: *Omnes de Saba venient, quorum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes*.

Mystice considerandum est quod isti 596 non in via, sed tunc primo aperuerunt thesaurum, quando venerunt ad Christum: similiter nos bona nostra in via non debemus manifestare. Unde reprehenditur hoc inf. xxv de virginibus, et c. xiii, 44 dicitur: *Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa quae habet, et emit agrum illum*.

597 *Obtulerunt ei munera*, etc. Aliqui assignant rationem istorum munerum litteralem: et dicunt isti, quod tria invenerunt: domum sordidam, puerum infirmum, et matrem pauperem. Et ideo obtulerunt aurum ad sustentationem matris, myrrham ad sustentationem membrorum

pueri, thus ad tollendum foetorem. Sed dicendum, quod aliquid mystice hic praedicitur, et potius ista tria ad tria referuntur, quae offerre debemus, sc. fidem, actionem et contemplationem. Quantum ad fidem dupliciter: Primo quantum ad ea, quae in Christo concurrunt. Scilicet regia dignitas; Ier. xxii, 5: *Regnabit rex, et sapiens erit*, etc.; et ideo in tributum obtulerunt aurum. Sacerdotii magnitudo; et ideo thus in sacrificium. Hominis mortalitas; et ideo myrrham. Item quantum ad fidem Trinitatis, quia designantur in nobis personae Trinitatis. Secundo possunt referri ad actionem nostram. Per aurum enim potest signari sapientia; Prov. ii, 5: *Si quasi thesaurus effuderis illam, tunc intelliges timorem Domini*. Per thus oratio devota; Psal. cxi, 2: *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*, etc. Per myrrham mortificatio carnis; Col. iii, 5: *Mortificate membra, quae sunt super terram*; Cant. v, 5: *Mannae meae distillaverunt myrrham*. Quantum autem ad contemplationem, per ista tria possunt significari vel tres sensus sacrae Scripturae scilicet literalis, sub quo comprehenditur allegoricus, anagogicus et moralis; vel tres partes philosophiae, scilicet moralis, logica et naturalis; omnibus enim his debemus uti ad servitium Dei.

598 Consequenter ponitur quomodo reverentiam exhibuerunt in obediendo; unde: *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam*.

599 Sed quomodo responsum acceperunt qui non interrogaverunt? Sed dicendum quod Dominus respondet aliquando interrogationi mentali, et isti intus quae-rebant quid placeret Deo de reversione; Exod. xiv, 15: *Quid clamatis ad me?* Sed nunquid sunt revelationes immediate a Deo? Dionysius probat quod non, nisi

mediantibus angelis. Quare ergo non nominat angelum? Sed dicendum, quod quocumque Scriptura facit mentionem de Deo, et non de angelo, hoc fit per quamdam excellentiam illius manifestationis; Gal. iii, 19: *Lex ordinata per angelum in manu mediatoris*; Act. vii, 37: *Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis*, etc. Unde quod dicit Glossa, quod hoc fuit immediate per Deum, refertur ad modum loquendi Scripturae.

600 *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam*. In hoc ostenditur quod ad regionem nostram paradisum, a qua per peccatum expulsi sumus, per obedientiam pervenimus; Prov. iv, 27: *Vias quae a dextris sunt novit Dominus; perverbiae vero sunt quae sunt a sinistris*. Chrysostomus hic dicit, quod isti reversi egerunt sanctam vitam, et postea facti sunt coadiutores S. Thomae apostoli; tamen nihil de eis invenitur scriptum in sacra Scriptura post recessum eorum.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.
(DE FESTIS DOM., LIB. 4, CAP. 9, N. 3).

III.

601 **E**st quoddam Bruxellense manuscriptum Martyrologium, quod P. Sollerius reblit in notis ad Martyrologium Usuardi, ubi monetur, non modo adorationis Magorum, Baptismatis Christi, et conversionis aquae in vinum, sed multiplicationis etiam panum et piscium, hoc eodem die memoriam recoli consuevisse; quod confirmat etiam D. Augustinus, serm. 28 de tempore, qui primus est de Epiphania. *Hodie illud colimus, quo se in hominem Deus virtutibus declaravit, pro eo quod in hac die, sive quod in Caelo stella ortus sui montium praebuit, sive quod in Cana Galilaeae in convivio nuptiali aquam convertit in vinum, sive quod in Jordaniis undis aquas ad reparationem generis humani suo Baptismo consecravit, sive quod de quinque panibus quinque millia hominum satiavit. In quolibet horum salutis nostrae mysteria continentur et gaudia. Fortasse ea fuit peculiaris qua-*

randam Ecclesiarum disciplina, ut etiam nunc est Ecclesiae Mediolanensis, quod notat Galesinius in Not. ad Martyrol., pag. 12: *De iis praeter ea quatuor celebrandis morem hodie adhuc Ecclesia Mediolanensis retinet ut ex illius hymno cognoscimus*. Et sane ex iis, quae diximus, aperte constat, in Epiphania, iuxta universalem disciplinam, celebrari solitam esse Manifestationem Christi in Magorum adoratione, in Baptismo, in conversione aquae in vinum, quemadmodum nunc celebratur, nulla facta mentione de multiplicatione piscium et panum. Sextam Ianuarii diem scribit Orosius, lib. 6, tribus Augusti triumphis fuisse celebrem; ex quo conicit Florentinus in exercit. 3 de Historia Magorum, quam in suo Martyrologio inseruit, Ecclesiam fortasse in hoc uno die tria Redemptoris nostri miracula coniunxisse, quae ianibus Ethnicorum triumphis opponeret. *Nec improbabile est Romanam Ecclesiam diem 8 Id. Ianuarii Baptismo, Nuptiarum prodigio, et Magorum adoratione, hoc est triplici Christi triumpho aptasse, ut Romanos a solemnitate profana averteret. Celebris enim dies erat, ut Orosius adnotavit, ob triplicem Augusti triumphum; ut celebris quoque exinde apud Christianos fieret ob triplicem Domini gloriam nempe barbarorum Regum, et Gentium adorationem, divinae in Baptismo Filiationis testimonium, atque ex mutatae aquae prodigio gloriae suae manifestationem.*

DIE III. INFRA OCT. EPIPHANIAE

Homilia S. Petri Chrysologi.
SERMO CLVI DE EPIPH. ET MAGIS.

602 **Q**UOTES salutaribus succis contra lethales morbos antidotum temperatitia praecautum medicorum, si praeter artem, praeter medicinam, praeter tempus, accipere praesumat aegrotus, fit periculi causa, quod provisum est ad salutem: sic Dei verbum si praeter magisterium, praeter doctrinam, praeter dogma fidei, scire temerarius praesumat auditor, quod est vitae materia, fit perditionis occasio. Quaerendum est, fratres, ne per audientiam imperitiam, quod ad profectum nobis divinitus scriptum est, ad animarum veniat detrimentum. Putasne Chaldaeos siderum scrutatores, errantes per astra

Magos, coeli negotia in tenebris noctium perquirentes, nascendi, moriendi causas, stellarum cursibus ascribentes, bona, malava hominum de arbitrio luminarium firmantes, Evangelista hodie ortum Christi absconditum saeculis stalla duce docuit invenisse? Absit. Sic sentit mundus, sic gentiles intelligunt, sic facit species lectionis: ceterum sermo Evangelicus non humana loquitur, sed divina: non usitata, sed nova: non arte fallentia, sed veritate subnixta: non oculis alludentia, sed cordibus infixa: non coniecturis nutantia, sed auctoritate firmata: a Deo venientia, non a fato: non collecta numeris, sed virtutibus acquisita.

603 *Cum natus esset Iesus, inquit, in Bethleem Iudae, in diebus Herodis regis: Ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? Vidimus stellam eius in oriente, et venimus adorare eum*. Cum nascitur Iesus, oritur origo rerum, generatur largitor generis, nascitur auctor naturae, ut repararet naturam, genus redderet, originem recrearet. Adam primus homo, pater generis, origo generationis, naturae bonum, libertatem generis et germinis vitam sic perdidit, dum deliquit, ut malum naturae, servitutem generis, germinis mortem successio lamentanda portaret. Hinc est, quod Christus nascendo naturam reddidit, sustulit moriendo mortem, vitam revocat dum resurgit: et qui homini animam dederat de coelo, inde hominem fecit et carne constare: ne terrena labes coelestem sensum rursum carnis demergat in lapsum, dicente Apostolo: *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de coelo, coelestis: qualis terrenus, tales et terreni, et qualis coelestis, tales et coelestes*. Et Ioannes Evangelista: *Omnis, qui ex Deo natus est, non peccat, sed*

generatio Dei servat illum. Hinc est ergo, quod nascitur Christus, ut iacentes in terreno germine coelestem tolleret ad naturam.

604 *Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudae.* Bethlehem, fratres, Hebraice domus panis vocatur. His ergo vocabulis Iudae signatur domus, genus vocatur, ut promissionis fides, ut prophetiae veritas impleatur, dicente Iacob: *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tuas supra dorsum inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui.* Et post: *Non deficiet Princeps ex Iuda, nec Dux ex femoribus eius, donec veniat cui repostita sunt, et ipse erit expectatio gentium.* Unde et David: *Iuda Rex meus. Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudae in diebus Herodis Regis.* Quid est, quod tempore Regis nefandi Deus descendit ad terras? miscetur divinitas carni? fit terreno corpori coeleste commercium? Quid est? Et quando non verus Rex expulsurus tyrannum, vindicaturus patriam, instauraturus orbem, libertatem redditurus adventat? Herodes refuga gentis Iudaicae invasit regnum, libertatem sustulit, prophanavit sancta, confudit ordinem; quidquid disciplinae, quidquid cultus est, abolevit: merito ergo genti sanctae, quia humana desunt, divina succurrunt, et adest Deus ipsi, cui homo non erat qui adesset. Sic iterum Christus venit, ut Antichristus subruat, liberetur orbis, Paradisi patria reddatur, mundi perpetuetur libertas, saeculi servitus tota tollatur.

605 *Ecce Magi ab oriente venerunt.* Ab oriente ad orientem veniunt Magi, ut susciperet venientes ipse, qui iusserat ut venirent: quando enim Deum Magus, nisi Deo iubente perquireret? quando regem coeli nisi revelante Deo Astrologus invenisset? quando unum Deum sine Deo Chaldaeus adoraret in terra, qui in coelo

diis totidem, quot sideribus serviebat? Plus coeleste de Magis, quam de stella signum est, quod Iudaeae Regem, quod legis auctorem Magus scit, nescit Iudaeus: Chaldaea defert, non defert Iudaea: Ierosolyma aversatur et refugit; Syria sequitur et adorat. *Ecce Magi ab oriente venerunt, dicentes: ubi est qui natus est Rex Iudaeorum? Vidimus stellam eius.* Et quid tamen est quod videtur? Vere sicut dixit Apostolus: *Cum esset dives, pauper factus est:* cum esset in deitate sua dives, nostra fit pauper in carne: et habere coepit stellam unam, totam qui fecit, habet, et continet creaturam.

Vidimus stellam eius. Aliquando videt Magus illum, qui habet stellam, non habetur a stella, nec ipse agitur cursu stellae, sed ipse stellae agit cursum: cuius per coelum sic cursum dirigit, sic moderatur incessum, sic viam temperat, ut Magorum serviat et mitatur ad gressum: nam ambulante Mago, stella ambulat: sedente Mago, stat stella: Mago dormiente, excubat stella: sic sentit Magus, ut quibus viandi par conditio est, par sit necessitas serviendi: et stellam iam non Deum credit, sed iudicat esse conservam, quam cernit taliter suis obsequiis mancipatam.

Ubi est qui natus est Rex Iudaeorum? Vidimus stellam eius in oriente, et venimus adorare eum. Dicendo, ubi est qui natus est Rex Iudaeorum, non interrogant, sed insultant: quando scientes interrogant nescientes, non ipsi ignorant, sed negligentes arguunt, increpant desides, malos produnt, contumaces verberant, servos Domino non occurrisse accusant. Nam quid ab hominibus quaerunt, qui per Deum noverant quod quaerebant? Ut quid illis ad hoc humanae demonstrationis officium, quibus ad hoc coeli sidera serviebat? Quo illis Iucerna

templi, quibus coeli sidus mirabile per-lucebat?

608 *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?* Hoc est dicere: Cur Rex Iudaeorum in praesepe iacet, et non decumbit in templo? Cur non fulget in purpura, sed squallet in pannis? Cur latet in specu, et manifestus in sanctuario non habetur? Receperunt iumenta in praesepe, quem in domo sua recipere vos spreveritis. *Agnovit, sicut scriptum est, bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui:* tu autem Israel tuum Dominum non quaesisti.

609 *Vidimus stellam eius.* Apparuit stella non volens, sed iussa: non coeli nutu, sed divinitatis impulsu: non lege siderum, sed novitate signorum: non coeli climate, sed virtute nascentis: non ab arte, sed a Deo: non astrologi scientia, sed praesentia conditoris: non arithmetica ratione, sed sanctione divina: superna procuratione, non curiositate Chaldaea: non arte Magica, sed Iudaica prophetia. Sic ubi vidit Magus humanas periisse curas, suas defecisse artes, mundanae sapientiae exinanitos labores, omnium sudores obriguisse sectarum, totius Philosophiae thesauros esse vacuos, fugisse paganam noctem, opinionum nebulas concidisse, ipsas daemonum delituisse umbras, stellam non ut comestam incircunfuso crine occultare quod nunciat, obscurare quod luet, sic dicit: Fas est, ut te novo radio, signifero lumine, splendore certo radiare videam in Iudaeam: atque illic natum regem, praeter mundi legem, praeter carnis ordinem, praeter humanam monstrare naturam. Sic deposito errore, sequitur, currit, pervenit, invenit, gaudet, proci-dit, adorat: quia non per stellam, non per artem, sed per Deum, Deum se invenisse humana miratur in carne. Ergo, fratres, lectione praesenti non est fir-

matus error magicus, sed solutus. Sed sufficient ista hodie, ut per Deum quae sunt in sequentibus clare elucescant.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

[DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 5].

V.

MAGORUM adventum et adorationem narrat 610 Sanctus Matthaeus cap. 2. Refert Magos ab Oriente Ierosolymam venisse perunciatos ubi natus esset Rex Iudaeorum; se enim stellam in Oriente conspicatos ideo venisse, ut eum adorarent. *Vidimus enim stellam eius in Oriente, et venimus adorare eum.* Herodem autem Regem cum tota Ierosolyma vehementer fuisse commota: quambrem Sacerdotes, et Scribas populi convocasse et ab eis quaesivisse, ubi Christus esset nasciturus. Ut vero compertit iuxta Prophetiam nasciturum in Bethlechem: *Et tu Bethlechem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiit Dux qui regat populum meum Israel.* Magos ad se accersisse; ab iis tempus cognovisse quo stella apparuerat, dimissisque Bethlechem iis dixisse: *Ite, quaerite de puero, quem ubi inveneritis facite ut resciscam; mihi enim certum est illic me conferre, illumque adorare. Et cum inveneritis, rementiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.* Praeterea sacer textus, Magos abissis narrat; stellam quam vidissent in Oriente, antecedendo iis praerulxisse, usque dum staret supra, ubi erat puer; Magos, ubi eam denuo vidissent, exultasse gaudio, domum denique ingressos puerum reperisse cum matre; et in genua provolutos aium, thus, et myrrham ei obtulisse, montosque per somnium ne redirent ad Herodem, per altam viam reversos esse in Regionem suam.

DIE IV. INFRA OCT. EPIPHANIAE

Homilia S. Thomae a Villanova.

IN EPIPHANIA DOMINI, CONCIO 2.

CUM natus esset Iesus in Bethlehem Iuda (MATTH. II, 1). Propheta David in Psalmo ait: *Semel locutus est Deus, duo haec audivi: quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia.* Quomodo ergo ait Apostolus: *Multifariam, multisque modis olim Deus*

loquens? Nonne locutus est ad Abraham, et Moysen, et Samuel, et Iob, et alios Prophetas? Respondeo: Duplex est locutus Dei. Ad intra, et ad extra. *Multifariam ergo multisque modis*: multoties, inquam, locutus est Deus; sed Patribus, sed Prophetis ad extra. Sed ad intra *semel tantum locutus est Deus* in Filio, et loquitur, et loquetur in aeternum. Quia unum Filium, unum Verbum habet, quod dicendo producit, et ipsum dicere, generare est: quia Verbum est Filius. Isaïas: *Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*, id est Verbum incarnatum in mundo. In hoc Verbo *duo audiri*: quia duas naturas agnosco: Divinam, et humanam. Secundum Divinam: *Potestas Dei est*. Secundum humanam: *Tibi Domine misericordia*. Si Verbum humanatum contempliceris, haec duo maxime lucent in eo: maiestas et humilitas; potestas et misericordia. Quid namque fuit illa humanitas quam accepit, nisi sacculus misericordiae, quem ruperunt Iudaei, et effusa est per totum orbem. *Misericordia enim Domini, plena est terra*. Considera, inquit Bernardus, Redemptorem Iesum a principio suae nativitatis usque ad mortem; considera, et haec duo, inquit, invenies, potestatem et misericordiam. Ecce nascitur de Virgine: *Potestas Dei est*. Sed nascitur in tugurio: *Tibi Domine misericordia*. Quod adoratur ab Angelis: *Potestas Dei est*. Quod involvitur pannis: *Tibi Domine misericordia*. Quod fulget in coelo per stellam: *Potestas Dei est*. Quod iacet in praesepio: *Tibi Domine misericordia*. Quod adoratur a Regibus: *Potestas Dei est*. Quod sociatur animalibus: *Tibi Domine misericordia*. Quod terret a cuna tyrannum Herodem: *Potestas Dei est*. Quod fugit in Aegyptum: *Tibi Domine misericordia*. Quod facit miracula: magna potestas Dei est. Quod

sustinet ludibria: *Tibi Domine misericordia*. Quod ipso moriente luget sol: *Potestas Dei est*. Quod moritur inter latrones: *Tibi Domine misericordia*. Vides certe quomodo in unico Dei Verbo incarnato per totum vitae decursum sola potestas et misericordia lucent. Sic enim permixta sunt in eo magna cum parvis, sublimia humilibus; ut ex potestate noscatur verus Deus, et ex humilitate noscatur verus Homo. S. P. Augustinus: Quis est iste Rex tam magnus et tam parvus? Nondum in terris loquens, et iam in coelo edicta proponens? Nondum nota est eius nativitas in Bethlehem: et iam scitur in oriente. In praesepio mutus infans tacet: et iam coeli enarrant gloriam eius. Quid enim fuit illa stella nisi lingua coelorum? Hic est lapis, qui de monte abscissus est sine manibus: et factus est mons magnus, et implevit totam terram. Hic est lapis angularis, qui factus est in caput anguli, complectens utrumque parietem, pastores et Reges; qui publicam in eum fidem testati, et legatione functi venerunt adorare eum: et obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.

Cum natus esset Iesus in Bethlehem ⁶¹² Iuda. Quis nobis edisseret nati huius pueri praecellentiam? David, optimus ille Astrologus secretorum Dei, ipse declarabit. Quis ergo putas o David puer iste erit? *Iudicabit*, inquit, *pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem. Et permanebit cum sole et ante lunam, in generatione et generationem. Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis: donec auferatur luna. Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Aethiopes, et inimici eius terram lingent. Reges Tharsis et*

*insulae munera offerent: Reges Arabum, et Saba dona adducent: Et adorabunt eum omnes Reges terrae, omnes gentes serviant ei. Liberabit pauperem a potente, et pauperem cui non erat adiutor. Parcelt pauperi et inopi et animas pauperum salvos faciet. Ex iniquitate redimet animas eorum. Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiae, et adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei. Et ideo: Sit nomen eius benedictum in saecula: Ante solem permanet nomen eius. Et benedicentur in ipso omnes tribus, omnes gentes magnificabunt eum. Et erit benedictum nomen maiestatis eius in aeternum, et replebitur maiestate eius omnis terra. Ac tandem concludens: *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. Ecce magnificentiam, ecce decorem, ecce nati pueri gloriam ac praerogativam. Et omnes dictae promissiones, inquit S. P. Augustinus, in illo firmatae sunt, quando in illo impletum est, quidquid pro salute nostra prophetatum est. Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolimam, dicentes: Ubi est, qui natus est Rex Iudaeorum?* Statim omissis regni negotiis, ac domibus et familiis, tredecim dierum itinere mensis integri spatium perficiunt. Sic sic quaerendus et investigandus est Dominus: non tepide, non negligenter. O Magi! Nondum ambulantes super fluctus, nondum suscitare mortuos eum vidistis; et nos, post visa illius miracula, doctrinam, et potentiam algemus et stertimus. Utinam tanta saltem aviditate quaeramus Deum, quanta saeculares pecuniam! Intrantergo Ierosolimam, et petunt: *Ubi est, qui natus est Rex Iudaeorum?* O Magi, nonne nostis Herodem tyrannum, truculentum depopulatorem, parricidam? Cum audierit vos, scindet vos tamquam pullos. Nondum viderant, et iam parati erant martyrio; prius confessores quam viso-*

res. Chrysostomus. O Beati Magi, qui ante conspectum crudelissimi Regis, antequam Christum cognoscerent, Christi facti sunt confessores.

Sed quid Regem vultis? *Venimus*, inquit, *adorare eum*. Quem adorare? Ut Regina Saba Salomonem; recenter natum Salvatorem. Quo audito, turbatur Herodes, et proponit occidere. Stolidi, impie tyranne! Prophetatus, et demonstratus est sidere Christus, et tu occides ipsum? Non minus stulti sunt, qui Deum blasphemant. Stulti etiam Iudaei et caeci: tam diu desideraverant Messiam, et turbantur ad eius adventum cum Herode. *Audiens*, ait Evangelista sanctus, *Herodes Rex, turbatus est, et omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. Et cum ex illis intellexisset Christum nasciturum in Bethlehem, dixit Magis: *Ite et interrogate diligenter de puero; et cum inveniatis renuntiate mihi, ut ego veniens adorem eum.* Ficta illa calliditas, machinamenta, turbationes, magis confortant Reges; et fiunt immobiles in fide tamquam lapis. Unde egressi Ierosolymis constanter prosequuntur incoeptum iter, et novi sideris ductum. Sed quid miser Herodes metuis? Quid frustra infantem timens, pro parvulo occidis parvulus? *Non eripit mortalia, qui regna dat caelestia.* Timens interim regnum amittere, non meruit Regem cognoscere. P. Augustinus: Utinam et ipse Regem cum Magis adoraret! non male regnum quaerendo innocentes perderet, et nocens periret. Sed et vos, o *Reges intelligite.* Metuere non debent Reges, ne regnum perdant, ne illis auferatur regnum, sicut miser timuit Herodes. Rex quidem constitutus est a Deo, et haereditatem usque ad fines terrae dedit ei, qui illum constituit*